

OFFICIA PROPRIA ARCHIDIŒCESIS FRIBURGENSIS

PARS ESTIVA

FESTA JULII

Die 8 Julii

Ss. Kiliani Ep. et Socio-
rum Martyrum

Duplex

Oratio

Deus, qui sanctórum Mártyrum Kiliáni et Sociórum ejus méntibus in passióne constántiam inspi-rásti: concéde propítius; ut sicut illi devictis perse-cutóribus a te coronári meruérunt, ita nos eórum interventióne tua semper protectióne lætémur. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis (Ss. Cyrilli et Methodii Epp. et Cc.):

Ant. Isti sunt viri sancti, facti amici Dei, divinæ veritátis præcónio glorió-

si: linguæ eórum claves cæli factæ sunt.

V. Sacerdótes tui induán-tur justítiam. **R.** Et sancti tui exsúltent.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confes-sóres tuos atque Pontífi-ces Cyrillum et Methódi-um ad agnitiónem tui nó-minis venire tribuísti: præ-sta; ut, quorum festivitáte gloriámur, eórum consór-tio copulémur.

Deinde Com. S. Elisabeth Reginæ, Viduæ (semiduplex):

Ant. Et nunc, reges, in-telligite: erudimini, qui ju-dicátis terram.

V. Ora pro nobis, beáta Elisabeth. **R.** Ut digni efficiámur promissiõibus Christi.

Oratio

Clementissime Deus, qui beátam Elisabeth reginam, inter céteras egrégias dotes, bélicii furóris sedándi prærogatíva decorásti: da nobis ejus intercessióne post mortális vitæ, quam suppliciter pétimus, pacem, ad æterna gáudia pervenire. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

Kiliánus ex Scótiá nobilibus paréntibus ortus, contéptis hujus mundi illécebris, ad monastérium, tamquam salutis portum tutissimum, confúgit, in quo assídus jejúniis, vigíliis et précibus, ac rerum divinárum contemplatióne máximam nóminis celebritátem ac sanctitátis laudem consecútus, et a frátribus monastérii régimen assumere coáctus, accitis quibúsdam sóciis inde discéssit, ac Herbípolim, Francóniæ urbem, pervénit, ibíque ignótus inter incredúlæ gentis feritátem aliquámdiu vitam egit, parátus pro illius sa-

lúte Christíque glória sán-guinem fúndere. Proféc-tus póstea Romam, ac-cépta a Summo Pontífice prædicándi licéntia, ad du-cem Herbípolénsem, Gis-bértum nómine, revértitur episcopáli auctus digni-táte, eum ad fidem chris-tiánam prædicatióne sua convértit, et cum multis áliis ipsi subjéctis bap-tizávit.

R. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, servientes præcéptis tuis, ut invenirentur illási in aquis válidis: * Terra apparuit árida: et in Mari Rubro via sine impediménto. **V.** Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrentes inundavérunt. **Terra.**

Lectio v

Videns autem vir sanctus ducem, quantumvis in fide instrúctus esset, periclitári tamen salúte, quod germáni sui uxórem Geylánam matrimónio sibi copulátam contra evangélicæ legis doctrinam retinérét, blando collóquio familiárius admónito persuásit, ut eam a toro separátam dimít-

tere cogitáret. Hæc cum ad aures impíæ mulieris pervenissent, furóre succénsa Kiliáni necem die noctúque pertráctans, ei insídias paráre cœpit, quas ille cognóscens, cum sóciis Colománno presbýtero, et Totnáno diácono oratióibus et jejúnio vacáre non désiit.

R. Vérbera carnificum non timuérunt sancti Dei, morientes pro Christi nómine: * Ut herédes fierent in domo Dómini. **V.** Tradiderunt córpora sua propter Deum ad supplicia. **Ut.**

Lectio vi

Cum ígitur diu optátum martýrii diem alácri-ter exspectárent, irruéntibus dum divinas laudes perágerent sicáriis ad hoc destinátis, impio gládio trucidáti sunt; córpora eórum mox in eódem loco cum Pontificálibus indumentis et sacris libris et cruce, ne quis posset indicium necis deprehéndere, defóssa sunt. Unde Geylána a dæmónio vexáta ad æternas pœnas ivit, unus lictórum in furórem versus se déntibus laniá-

vit, alter a dæmone in rábiem actus gládio se perémit. Ejus ac sociórum córpora póstmocum crebérrimis coruscántia miráculis a sanctis Bonifátio archiepiscopo et Burchárdo ejus loci episcopo, consilio et præcepto sancti Zachariæ Papæ, anno Dómini septingentésimo quinquagésimo de túmulo, quo indecénter pósitá fuerant, subleváta sunt, et público cúltoi honorífice exhibita.

R. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holo-cáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. **V.** Qui confidunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectiÓne acquiescent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evangel. Cum audieritis prælia, de Communi plurimorum Mm. 1 loco.

Pro S. Elisabeth:

Lectio ix

Elisabeth Aragóniæ régibus orta est anno

Christi millésimo ducentésimo septuagésimo primo. Nátalis ejus lætítia perniciosas avi patrisque dissensiónes in concórdiam convértit, ex quo statim páuit quam felix regum regnorúmque esset futúra pacátrix. In castigádo corpore, in précibus assidue recitándis, in caritátis opéribus exercéndis admirábilis fuit. Dionýsio Lusitániæ regi in matrimónium tráditá, non minórem excoléndis virtútibus, quam liberis educándis óperam dabat, viro placére studens, sed magis Deo. Monastéria, collégia et templa non modo extruxit, sed étiam magnífice dotávit. In regum discórdiis componéndis admirábilis fuit, in privátis publicisque mortálium sublevándis calamitátibus indefessa, et miraculis clara. Defuncto rege Dionýsio, cum hábitum Seráphici órdis induisset, quidquid sibi carum aut pretiósum supererat, pro regis ánima templo Compostelláno obtulit, et in sacros ac pios usus convértit. Dénique

reges duos, filium et génerum, pacificatúra, morbo ex itinere contrácto, a Vírgine Deípara visitáta, sanctíssime óbiit. Eam, miraculis claram, Urbánus octávus inter Sanctos adscripsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. S. Elisabeth:

Ant. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli tui.

V. Méritis et précibus beatæ Elisabeth. **R.** Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Oratio Clementíssime, ut supra. 6*

In Vesperis Com. S. Elisabeth:

Ant. Elisabeth pacis et pátriæ mater, in cælo triúmphans, dona nobis pacem.

V. Ora pro nobis, beatá Elisabeth. **R.** Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Oratio Clementíssime, ut supra. 6*

Die 11 Julii
**S. Udalrici Monachi
Confessoris**

Semiduplex (m. t. v.)

Oratio

Deus, qui nos admones, exémplo beáti Udalrici temporalia despícere et ad æterna festináre: da fámulis tuis; ut, quæ tibi plácita cognóvimus, ipso pro nobis intercedente, implére valeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis (Ss. septem Fratrum et Sociorum Mm.):

Ant. Gaudent in cælis animæ sanctórum, qui Christi vestigia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsultant sine fine.

V. Exsultábunt sancti.

Oratio

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut, qui gloriósos Mártires fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Deinde Com. S. Pii I Papæ et Mart.:

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

V. Glória et honóre.

Oratio

Infirmítatem nostram respice, omnipotens Deus: et quia pondus propriæ actiónis gravat, beáti Pii Mártiris tui atque Pontificis intercessio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv



Udalricus ex illustri Bojariórum gente, patre Bernól-do, Henrico tertio Imperatóri acceptíssimo, Ratisbónæ natus, in liberálibus stúdiis et disciplinis sédulo fuit institútus. Adolescéntior factus et aulam Imperatóris ingressus, virtútum ómnium exémpplar céteris áulicis se præbuit. Mox a pátruo Frisingénsi episcopo ab aula evocátus, clericáli militiæ adscriptus et diáconus factus, ob spectá-

tam morum integritatem Frisingensi ecclesiae praepositus est renuntiatus. Sed non ita multo post, desiderio sacra Palaestinae loca visendi incensus, longissimam illam peregrinationem non sine magnis laboribus vitaeque discrimine suscepit perfecitque. Ratisbonam reversus, de solitaria vita capessenda construendoque monasterio cogitare coepit; sed fama permotus sancti Hugonis abbatis Cluniacensis, suis bonis maxima ex parte pauperibus distributis, salutisque Apostolorum liminibus Cluniacum profectus est, ut se illi in monastica vita instituendum traderet.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Ab Hugone in monasterium admissus, statim virtutibus omnibus, im-

primis christiana animi demissione, adeo inclarescere coepit, ut paulo post Hugo eundem ad sacerdotium promovendum curaverit, sibi a sacris et a consiliis esse voluerit, ac monachorum confessionibus excipiendis praefecerit. Hoc munere admirabili prudentia, comitate et caritate defungebatur. Saeuissimas carnis tentationes mira fortitudine devicit, illatas sibi injurias patientissime tulit. Marcinicum, ut sacris virginibus praesesset, missus, oculi dolore correptus, Cluniacum reverti coactus est; sed pristinae incolunitati restitutus, Hugonis jussu primo monasterium in monte Rotgeri a fundamenti exstruxit, mox Gruningense monasterium, jam pridem in Brisgovia fundatum, regendum suscepit. Verum in hoc monasterio non diu substitit Udalricus, quod illud laicorum frequentiam nimium patere cerneret: quare in locum magis remotum, Cella dictum, in Silva nigra monasterium transtulit. Hujus mona-

sterii ecclesiam in honorem Apostolorum Petri et Pauli etiam aedificavit, altero in Bollschiwileni pago pro sacris virginibus exstructo asceterio.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loricae fidei, et ornavit eum. **Et.**

Lectio vi

Monachos sanctissimis legibus atque institutis regabat, sed praesertim abstinencia, vigiliis, jugibus lacrimis, continentia ferventissimaque oratione et aliarum virtutum exercitatione ad pietatem excitabat: quare brevi ejusdem sanctimoniae fama longius latiusque diffusa est. Ad Grulielmum etiam abbatem Hirsaugiensem divertit, ab eodemque hospitio receptus, ejus rogatu de consuetudinibus Cluniacensibus libros mira sapientia et pietate refertos conscripsit. Denique virtutibus et miraculis clarus, cum oculorum usum

penitus amisisset, eamque calamitatem biennio integro aequissimo animo pertulisset, in extremum incidit morbum, atque ad ea verba: Sancti per fidem vicierunt regna, quae sibi animam agenti jusserat recitari, spiritum Deo reddidit in eodem monasterio sanctorum Petri et Pauli, ubi ejus sacrum corpus conditum fuit, et quod deinde a sancto Udalrico nomen accepit.

R. Iste homo perfecit omnia quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. **Quia.** Gloria Patri. **Quia.**

In III Nocturno Homilia in Evangel. Sint lumbi, de Comuni Conf. non Pont. 1 loco.

Pro S. Pio I:

Lectio ix

Pius, hujus nominis primus, Aquilejensis, Ruffini filius, ex presbytero sanctae Romanae Ecclesiae Summus Pontifex creatus

est, Antonino Pio et Marco Aurélio imperatoribus augustis. Quinque ordinationibus, mense Decembri, episcopus duodecim, octodecim presbyteros creavit. Exstant nonnulla ab eo praeclara instituta, praesertim ut Resurrectio Domini nonnisi die Dominico celebraretur. Pudentis domum in ecclesiam mutavit, eamque ob praestantiam supra ceteros titulos, utpote Romani Pontificis mansionem, titulo Pastoris dicavit, et in qua saepe rem sacram fecit, et multos ad fidem conversos baptizavit, ac in fidelium numerum adscripsit. Dum vero boni pastoris munus obiret, fuso pro suis ovibus et summo pastore Christo sanguine, martyrio coronatus est quinto Idus Julii, ac sepultus in Vaticano.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes fit Com. S. Pii I:

Ant. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.

V. Justus ut palma.

Oratio Infirmatatem, ut supra. 9*

Vesperae de sequenti (S. Joanne Gualberti Abbate), Com. praecedentis:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terrena, triumphans, divitias caelo condidit ore manu.

V. Justum deduxit.

Oratio Deus, qui nos, ut supra. 9*

Deinde Com. Ss. Naboris et Felicis Mm.:

Ant. Istorum est enim regnum caelorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad praemia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

V. Laetamini.

Oratio

Praesta, quaesumus Domine: ut, sicut nos sanctorum Martyrum tuorum Naboris et Felicis natalitia celebranda non deserunt; ita jugiter suffragiis comitentur. Per Dominum.

Die 15 Julii

S. Henrici

Imperatoris, Confessoris

Duplex majus (m. t. v.)

Omnia ut in Breviario eadem die, praeter ritum.

In I Vesperis fit Com. praecedentis (S. Bonaventurae Ep., Conf. et Ecl. Doct.)

In II Vesperis fit Com. sequentis (Commemorationis B. Mariae Virg. de Monte Carmelo).

Die 24 Julii

Beati Bernardi

Marchionis Baden., Conf.

In Magno Ducatu Baden.:

Patroni principalis

Duplex I classis (m. t. v.)

Omnia de Communi Conf. non Pont., praeter sequentia.

Oratio

Deus, qui beatum Bernardum Confessorem tuum aeternitatis laurea decorasti: concede propitius; ut, qui commemorationis ejus festa percolumus, vitae quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Beatus vir, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv



ernardus, in Margraviatu Badensis natus, parentes habuit Jacobum primum, marchionem Badensem,

et Catharinam, Caroli ducis Lotharingiae filiam, quorum opera sanctisque institutis eruditus, jam a tenera aetate Deum timere didicit, eique religionis actibus famulari. Jacobo vita functo, ditionum regimen suscepit, quod munus dignitatemque sic sustinuit, ut illius quique prudentiam, aequitatem ac justitiam celebrarent. Sed cum virginitatem servare animo statuisset, Magdalenae, Caroli septimi Galliarum regis filiae, praeclearissimas nuptias recusavit, subjectaque sibi ditionis regimen Carolo fratri sponte cessit, ut a terrenis curis solutus, liberius Deo divinisque rebus vacaret.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

In caelestium meditatione assiduus, brevi christianam perfectionem ad-

éptus est; suóque exémplo monstrávit, in ipso étiam aulæ splendóre sólida excelléntis virtútis jaci posse fundaménta. Sui rerúmque terrenárum contéptor, humilitátem, modéstiam et castitátem appríme cóluit. Corpus vero jejúniis, vigíliis aliisque pœnárúm genéribus veheménter afflíxit: cilício enim utebátur ad carnes hórrido, equinis crínibus intertétto, quo étiam indútus post mortem invéntus fuit. Quotidie Missæ sacrificio devotíssime intéterat, quotidie, priúsq̄ quam cúbitum iret, consciéntiæ suæ exomologésin faciébat. Erga Deíparam Virgínem singuláriter ferebátur pietátis sensu: erga Christi páuperes caritáte afficiebátur máxima, quorum ádeo amans erat, ut ob insígnem commiserátionem páuperum pater dictus fúerit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Cathólicæ religiónis propágandæ stúdio incensus ad Friderícum tértium se cóntulit, ut contra Turcas bellum sacrum indíci posset. Præsces eórsáreus per Itáliam ab eó deléctus, et ad Calíxtum tértium ad fœdus ineúndum orátor designátus, in Sabáudiam ad Ludovicum ducem perréxit, eúmque sacro bello sociávit. Romam inde profíciscens Montiscalérii in cœnóbio Fratrum minórum conventuálium sancti Francísci spirituálibus exercítiis óperam dare constituit et, cum postrémum diem sibi imminére divínitus intellexísset, sacraméntis ecclésiæ múnitus, in hospítio prope dictum cœnóbium, in crucis suavíssimo ampléxu ánimam Deo réddidit, Idibus Júlii, anno millésimo quadringentésimo quinquagésimo octávo. Ob plúrima mirácula, quæ illius mortem jam in die depositiónis consecúta sunt, cultu público statim colícoepit: quem quidem cultum ab immemorábili tén-

pore ad ætátem nostram productum Clemens déimus quartus Póntifex máximus rite probávit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est, qui contépsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangel. Sint lumbi, de Comuni Conf. non Pont. 1 loco.

In II Vesperis Com. sequentis (S. Jacobi Ap.) tantum:

Ant. Tradent enim vos in conciliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ante reges et præsides ducémini propter me in testimónium illis, et Géntibus.

V. In omnem terram exívit sonus eórum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio

Esto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor et custos: ut Apóstoli tui Jacóbi múnita præsidiis, et conversatióne tibi placeat, et se-

cúra mente desérviat. Per Dóminum.

Eadem die 24 Julii

In territorio Hohenzollerano:

Beati Bernardi Marchionis Baden., Conf., Patroni minus principalis

Duplex majus (m. t. v.)

Oratio

Deus, qui beátum Bernardum Confessórem tuum æternitátis láurea decorásti: concéde propítius; ut, qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpa. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. præcedentis (S. Apollinaris Ep. et Mart.):

Ant. Qui vult venire post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

V. Justus ut palma.

Oratio

Deus, fidélium remunerátor animárum, qui hunc diem beáti Apollínaris sacerdotís tui martyrio consecrásti: tribue nobis, quæsumus, fámulis tuis; ut, cujus venerándam celebrámus festivitátem, pré-

cibus ejus indulgéntiam consequámur.

Deinde Com. S. Christinæ Virg. et Mart.:

Ant. Veni, sponsa Christi: accipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

¶ Spécie tua.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beata Christina Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professione virtútis. Per Dóminum nostrum.

Lectiones II Nocturni, ut supra. 13*

In III Nocturno Homilia in Evangel. Sint lumbi vestri, de Communi Conf. non Pont. I loco.

Pro Vigilia S. Jacobi Ap.:

Lectio ix

Lectio sancti Evangelii secundum Joánnem

Cap. 15, 12-16

In illo témpore: Dixit Iesus discipulis suis: Hoc est præceptum meum, ut diligátis invicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ

Homilia 27 in Evangelia

Cum cuncta sacra elóquia Domínici plena sint præceptis, quid est quod de dilectióne, quasi de singulári mandato, Dóminus dicit: Hoc est præceptum meum, ut diligátis invicem: nisi quia omne mandatum de sola dilectióne est: et ómnia unum præceptum sunt? quia quidquid præcipitur, in sola caritate solidátur. Ut enim multi árboris rami ex una radice pródeunt: sic multæ virtútes ex una caritate generántur. Nec habet áliquid viriditátis ramus boni óperis, si non manet in radice caritátis. Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. Vigiliæ: Ant. et ¶. de Feria currenti.

Oratio

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Jacóbi, Apóstoli tui, quam prævenimus, veneranda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem.

Deinde Com. S. Christinæ:

Ant. Simile est regnum cælórum hómini negotia-

tóri quærénti bonas margaritas: invénta una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

¶ Diffúsa est.

Oratio Indulgéntiam, ut supra. 16*

Vesperæ de sequenti (S. Jacobo Ap.), Com. præcedentis:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cón-didit ore, manu.

¶ Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra. 15*

FESTA AUGUSTI

Die 27 Augusti

S. Gebhardi Episcopi Constantiensis, Conf.

Duplex

Oratio

Exáudi quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beati Gebhárdi Confessóris tui atque Pontificis solémnitate deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Josephi Calasantií Conf.:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

¶ Justum dedúxit.

Oratio

Deus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spiritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsidium providere dignátus es: præsta, quæsumus; nos ejus exémplo et intercessióne, ita fácere et docere, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv



ebhárdus, hoc nómine secúndus

Constantiensis

Episcopus, Comes Brigantinus, paréntes hábit Uttónem et Thietbúrgam, ex præclaríssimo Alamanórum genere procreátos; pueritiam lítteris grammatícalibus addiscendis consumpsit; adoléscent, mirum est, quanta ánimi puritate atque innocéntia lúbricam illam ætátem

transégerit; apud cives eam probitátis integritátsque opinióne adeptus est, ut Gaminólpho Constantiensi Antístite, qui sancto Conrado succésse- rat, ex hac vita subláto, summo ómnium consénsu atque lætítia, anno incar- nationis Domínicæ non- gentésimo octogésimo, Ot- tónis secúndi octávo, epí- scopus creátus sit.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Ni- hil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non oc- cébit ei. **Manus.**

Lectio v

Factus episcopus, hu- militátem, castitátem aliásque virtútes perpétuo diléxit: Cathólicam fidem et disciplinam ecclesiásti- cam acérrime deféndit: satis amplum ac lautum patrimonium, quod ei pii paréntes reliquerant, pau- pèribus distribuit, illud Dómini secum ánimo vol- vens: Si vis perfectus esse, vade et vende ómnia, quæ habes, et da paupè- ribus, et habébis seasáurum in cælis. Monastè-

rium beáti Gregórii Papæ nómine, anno post Chri- stum natum nongentési- mo octogésimo tértio, ma- gnificentissime extrúxit. Collégium prætérea mon- achórum, qui diu noctú- que Deo deservírent, in- stítuit, quod multis præ- diis attribútis locupletá- vit, ac munéribus amplis- simis exornávit.

R. Pósui adjutórium su- per poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliá- bitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Beátus itaque vir, Ec- clésiam sibi commis- sam cum séxdecim annos sanctissime administrá- set, tandem Dei benigni- táte, datis præcláris sanc- titátis suæ testimoniis, cumulátus méritis quiévit in Dómino, sexto Kalén- das Septémbris, anno a Virginitis partu nongenté- simo nonagésimo sexto. Incredibile quidem dictu est, quantum mórtuus apud omnes sui desidè- rium reliquerit. Ejus cor-

rum honorifico sepúlchro tráditum est.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédât pro peccátis ómnium popu- lórum. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia re- gna. **Ipse. Glória Patri.**

In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 24, 42-47

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigiláte, quia nescitis qua hora Dóminus vester ven- túrus sit. Et réliqua.

Homilia sancti Hilárii Episcopi

Comment. in Matth. can. 26 in fine



Ut ignorantiam il- lam diéi ómnibus tácti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dó- minus propter advéntum furis admónuit, et orati- ónum assiduitáte detén- tos, ómnibus præceptó-

rum suórum opéribus in- hærére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad de- trahénda ex nobis spólia pervigilem, et córporum nostrórum dómibus insi- diántem: ut ea, incuriós- tis nobis, et somno dedítis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos igitur esse nos cónvenit, quia diéi ignoratio inténtam sollicitúdinem suspénsæ expectatiónis exágitet.

R. Amávit eum Dómi- nus, et ornávit eum: stol- lam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus loricae fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio viii Can. 27

Quisnam est fidélis ser- vus et prudens, quem constituit Dóminus super familiam suam? Quam- quam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ cu- ram adhortétur: speciálem tamen pópuli princi- pibus, id est, episcopis, in exspectatióne adven- túque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim ser- vum fidélem atque pru- dentem, præpósitum fa-

miliæ significat, cõmmo-
da atque utilitatẽs com-
missi sibi pópuli curân-
tem. Qui si dicto aũdi-
ens, et præceptis obédi-
ens erit, id est, si doctri-
næ opportunitate et ver-
ritate infirma confirmet,
disrupta consolidet, de-
pravata convertat, et ver-
bum vitæ in æternitatis ci-
bum alendæ familiæ dis-
pendat, atque hæc agens,
hisque immorans depre-
hendatur: glóriam a Dõ-
mino tanquam dispensa-
tor fidelis, et villicus úti-
lis consequetur, et super
omnia bona constituetur;
id est, in Dei glória collo-
cabitur, quia nihil sit ul-
tra, quod melius sit.

R. Sint lumbi vestri præ-
cincti, et lucernæ ardentes
in manibus vestris: * Et
vos similes hominibus ex-
spectantibus dominum su-
um, quando revertatur a
nuptiis. **V.** Vigilate ergo,
quia nescitis qua hora Dõ-
minus vester venturus sit.
Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Josepho Calasancio:

Lectio ix

Joséphus Calasáncius,
Petráltæ in Aragónia

natus, adhuc párvulus
æquales ad se convocatos
mysteriis fidei et sacris
precebus erudiebat. Sa-
cerdos ex voto factus,
summa vitæ asperitate, vi-
giliis et jejuniis corpus
affligens, in oratione et
rerum cælestium contem-
platione dies noctesque
versabatur. Cum divini-
tus accepisset, se ad infor-
mandos intelligentiæ ac
pietatis spiritu adolescen-
tes, præcipue pauperes,
destinari; ordinem Cleri-
corum regularium paupe-
rum Matris Dei scholá-
rum piarum fundavit, qui
peculiarem curam de pue-
ris erudiendis ex proprio
instituto profiterentur. In-
numeris propterea labo-
ribus atque ærumnis in-
victo animo toleratis, se-
cundum et nonagesimum
annum agens, obiit in Dõ-
mino, octavo Kalendas
Septembris, anno millési-
mo sexcentésimo quadra-
gesimo octavo.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes fit Com. S. Jo-
sephi Calasancii:

Ant. Euge, serve bone
et fidelis, quia in pauca
fuisti fidelis, supra multa

te constituam, intra in
gaudium Domini tui.

V. Amavit eum.

Oratio Deus, qui, ut
supra. 17*

Vesperæ a Capitulo de se-
quenti (S. Augustino Ep., Conf.
et Eccl. Doct.), Com. præce-
dentis:

Ant. Amavit eum Dõ-
minus, et ornavit eum:
stolam gloriæ induit eum,
et ad portas paradisi co-
ronavit eum.

V. Justum deduxit.

Oratio Exaudi quæsu-
mus, ut supra. 17*

Deinde Com. S. Josephi Ca-
lasancii:

Ant. Hic vir despiciens
mundum et terræna, triúm-
phans, divitias cælo cõn-
didit ore, manu.

V. Os justi.

Oratio Deus qui, ut
supra. 17*

Postea Com. S. Hermetis
Mart.:

Ant. Iste sanctus pro
lege Dei sui certavit us-
que ad mortem, et a ver-
bis impiõrum non timuit:
fundatus enim erat supra
firmam petram.

V. Glória et honore co-
ronasti eum, Dõmine. **R.**
Et constituisti eum super
õpera manuum tuarum.

Oratio

Deus, qui beatum Her-
mètem Mátyrem tu-
um virtute constantiæ in
passione roborasti: ex
ejus nobis imitatione tri-
bue pro amore tuo pró-
spera mundi despiceret, et
nulla ejus adversa formi-
dare. Per Dõminum.

Index alphabeticus

	pag.
Bernardi Marchionis Baden., Conf., duplex I classis. 24 Julii	13* 15*
Gebhardi Ep. Constantiensis, Conf., duplex. 27 Aug.	17*
Henrici Imperatoris, Conf., duplex majus. 15 Julii	12*
Kiliani Ep. et Socior. Mm., duplex. 8 Julii	5*
Udalrici Monachi Conf., semiduplex. 11 Julii	9*



Die 4 Julii

S. UDALRICI EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte substimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et sit Commemoratio præcedentis:

Ant. Dum esset Summus Póntifex, terréna non méruit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Leónem Pontíficem Sanctórum tuórum méritis coæ-

Pro diec. Germaniæ

quásti: concéde propítius; ut, qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exépla. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli Apostolorum:

Ant. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

V. Constitúes eos príncipes super omnem terram. **R.** Mémoires erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apóstolorum tuórum Petri et Pauli mártýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Udalricus, excélsa pro-sápia Alamannórum patre Hupáldo, cómite de Dillingen et Khyburg, et

matre Thietbúrga natus, puer mónachis sancti Galli tráditur educándus. Ibi stúdio litterárum et virtútum zelo, præsertim castimóniæ, ádeo excélluit, ut coævi „sánctulum“ illum jam abínde cœperint vocítare. In pátriam revérsus, cognáto suo Adalberóni, episcopo Augustáno, fidéliter desérviit et post ejus mortem bonórum suórum patrimonialium per quatuordecim fere annos curam gessit. Mórtuo Hiltíno, Adalberónis successóre, Udalricus ab Henrico primo rege episcopus ecclésiæ Augustánæ præficitur.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

Factus igitur episcopus, totum se contemplationi dedit et sacræ lectioni: interim nihilominus, ut pastor bonus, summa cura ac sollicitudine óvibus suis invigilábat. Quas, tum sæpius visitándo, tum quibúsvís ingruéntibus periculis

confirmándo, ádeo numquam deséruit, ut irrumpéntibus aliquándo Húngaris fórtiter resisténdo precésque férvidas ad Deum ex ánimo fundéndo cives suos e summo discrimine feliciter liberáret.

R. Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Componéndis discídiis et inimicis reconciliándis óperam semper navávit egrégiam; Ottónem Cæsarem et Liudólphum ejus filium, gravíssimis inter se dissidéntes ódiis, reconciliávit. Páuperes quotidie mensæ suæ adhibébat convívias. Abstinéntia fuit admirábili; in oratióne étiam ad multam sæpe noctem assíduus, lecto plúmeo numquam est usus. Longum est commemoráre, quam multa ædificárit templa, quántaque per eum Deus contúlerit dona. Atque in his piis stúdiis ac labóribus per quinquaginta annos episcopátus múnere digne et sancte functus

óbiit quinto Nonas Júlias, anno Incarnatiónis Domínice nongentésimo septuagésimo tértio. Viginti annis post a sýnodo Lateranénsi, præsidénte Joánne Papa quintodécimo, inter Sanctos relátus est, quæ fuit prima omnino inter omnes canonizatiónes solémnes. Hujus reliquiæ Augústæ Vindelicórum in ecclésiá sanctæ Afræ, póstea ejus nómine nuncupáta, religiosissime servántur, ubi gloriósa ejus mérita miráculis corúscant.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercedat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo pègre, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

Si hoc Festum ad instar Simplicis redigatur et de ipso IX Lectio juxta Rubricas sit dicenda, sumi potest sequens

Lectio ix

Udalricus, excélsa prosápia Alamannórum natus, puer mónachis sanc-

ti Galli tráditur educándus, ubi stúdio litterárum et virtútum zelo, præsertim castimóniæ, excélluit. In pátriam revérsus, cognáto suo Adalberóni, episcopo Augustáno, fidéliter desérviit; cujus successóre Hiltíno demórtuo, Udalricus ab Henrico primo rege episcopus ecclésiæ Augustánæ præficitur. Factus igitur episcopus, totum se contemplationi dedit et sacræ lectioni: interim, ut pastor bonus, summa cura ac sollicitudine óvibus suis invigilábat; quas étiam irrumpéntibus aliquándo Húngaris fórtiter resisténdo precésque férvidas ad Deum fundéndo e summo discrimine feliciter liberávit. Ottónem Cæsarem ejúsque filium Liudólphum gravíssimis inter se dissidéntes ódiis reconciliávit. Episcopátus múnere per quinquaginta annos digne et sancte functus óbiit quinto Nonas Júlias, anno Incarnatiónis Domínice nongentésimo septuagésimo tértio. A Joánne Papa quintodécimo inter Sanctos relátus est, quæ fuit prima omnino inter omnes canonizatiónes solémnes.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessóris tui atque Pontificis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Octavæ:

Ant. Gloriósi Príncipes terræ, quómodo in víta sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

V. In omnem terram exívit sonus eórum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolorum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religionis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Com. præcedentis:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

V. Justum et Oratio Deus, qui cónspicis, **ut supra.**

Deinde Com. Octavæ:

Ant. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

V. Constítues eos príncipes super omnem terram.

R. Mémoires erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio Deus, qui hodiérnam, **ut supra.**

APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Wratislaviæ, die 9 Junii 1937

A. CARD. BERTRAM

Archiepiscopus Wratislaviensis

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 11 Junii 1937

DR. HÖCHT

Vic. Gen.